

S. ANSELMI VERSUS DE PRAEDECESSORE SUO LANFRANCO.

Archiepiscopii non divitias, nec honores
Lanfrancus subiit, sed curas atque labores.
Natus in Italia, Papiensi de regione,
Civibus egregiis, et honesta conditione.
Monachus atque prior Becci fuit, hinc Cadomensis
Abbas; post praesul primas et Cantuariensis.
Totius Anglorum fuit Ecclesiae reparator,
Et Northmannorum nihilominus auxiliator.
Hujus doctrinam pars maxima senserat orbis;
Et commune fuit viduis solamen et orbis,
Claudis, contractis, leprosis, daemoniosis,
Surdis et caecis, nec non aliis vitiosis.
Post exhortamen non sprexit ferre juvamen;
Sed dum vixit, erat spes omnibus atque levamen.
Et quamvis epulae cum potu deliciosae,
Et vestes fuerant sibi molles et pretiosae,
Ipse tamen tectus fuit asperitatis amictu;
Semper de vili vivens et paupere victu.
Verus justitiae, non falsus in ordine cultor,
Nequitiaeque fuit rectissimus et pius ultor.
Asper in elatos, nulli pro munere supplex,
Innocuisque bonis et nullo tempore duplex.
Custus et incestis parcendo subveniebat,
Justus et injustos tolerando corripiebat.
Sic alios curans, pastoris opus faciebat,

Sic se conservans, Domino per cuncta placebat.
Hic vir tam sapiens, et in hoc luctamine fortis,
Non potuit tandem laqueos evadere mortis.
O quantos miseri tunc invenere dolores!
Et gens Anglorum, quantos amisit honores!
Quo gemitu clerus, quo fletu monachus orat!
Et quantus dolor est quo sexus uterque laborat!
Si quis confidit totum se dicere posse,
Hunc ego confirmo non totum dicere nosse.
Et qui Lanfranco se judicat aequiparandum,
Illum jure facit praesumptio vituperandum.
Sole sub undecima geminos subeunte dieta,
Felicis vitae sibi ponitur ultima meta.
Regum Rex aeternae Deus, rerumque creator,
Sis sibi perpetuus defensor et auxiliator.
Virgo Redemptoris mundi sanctissima mater,
Illum conserva, ne spiritus atterat ater.
Omnes electi, precibus meritisque juvate
Lanfrancum vestris, et vobis consociate.
Vos quoque qui vitam gratanter adhuc retinetis,
Et spem venturae, donec superestis, habetis,
Hortor et admoneo quod eidem subveniat,
Ut quod feceritis, post mortem percipiat.
Nam qui propter eum supplex et sedulus orat,
Pro semet supplex et sedulus ipse laborat.
Amen.